

MICHAELIS DELA IGLESIA CASTRO,  
 Almi Regii Collegii Majoris S. CLEMENTIS  
 Hispanorum alumni,  
 atq. Sacrorum Canonum in Archigymnasio  
 Bononiensi publici Lectoris,

**O R A T I O**  
**DE JUSTITIA POENAE CAPITALIS;**

HABITA  
 IN EODEM ARCHIGYM.

*Die 15. Novembris 1768.*

IN SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE.



BONONIAE MDCCCLXX.

Typis Lælii a Vulpe Instituti Scientiarum Typographi.  
 Superiorum permisso.

MICHAELIS DEI IDELESI CASTRO

Vini Regii Colliei Missionis et Cenobiorum

Habitationis summi

ad Secundum Canonum in Vicipaginam

Ponitque duplo lusor

*Quis non praferat saeculi justitiam, quam <sup>¶</sup> Apostolus  
non frustra gladio accinctam contestatur, quae pro  
homine saeviendo religiosa est?*

Tertullian. de Anima c. 33.

# HIERONYMO GRIMALDO,

*Viro omnibus & naturae, & animi dotibus  
inter Patricios Genuenses, & Hispaniae Proceres  
ornatissimo,*

*Aurei velleris equiti,*

*Regi Catholico a Consiliis, & a Secretis,*

MICHAEL DE LA IGLESIA CASTRO

S. P. D.



*Emandata mihi provincia,  
HIERONYME vir praestantissime, orationem  
in florentissima schola Bononiensi, cum studia so-  
lemniter instaurarentur, habendi, neque Jurispru-  
dentiae laudes ornandas, celebrandasque suscepi;  
quis enim magnam in ea utilitatem, Et emolu-  
mentum, magnam dignitatem Et amplitudinem  
inesse*

inesse non videat? Neque ad vias artis praeclarae monstrandas animum appuli: abundat enim aetas nostra consiliis ad studia formanda appositissimis: sed satius putavi futurum, si ex absurdis sententiis, quibus novandi studiosi conantur explorata juris principia convellere, aliquam everterem, quo exemplo ad veram non simulatam philosophiam proposito, bene animatos juvenes confirmarem, alienatos ab ea ad officium reducerem. Prodierat ante paucos annos libellus, cuius scriptor Anonymus jactat, se maximis erroribus hominum animos liberavisse, humanitatem Et commiserationem in criminibus excutiendis Et vindicandis ope Philosophiae in apricum e Democriti puteo eruisse: magna verò minatus, id tanto hiatu dignum profert, ut dictata ab aliis novo dicendi genere vitiet, nihil ipse novum proferat, nisi improprietatem verborum, Et levitatem atque absurditatem sententiarum. Verum quamvis hic liber stomachum probis, doctisque viris moveret, aliis tamen juris aut parum gnaris, aut expertibus, qui vetera convelendi libidine pro summa habent sapientia, valde probabatur. Itaque operae pretium credidi, quoniam singulos errores convincere ad majus otium differebam, adversus eximum quemdam pro temporis modulo differere, ac veterem judiciorum disciplinam vindicare. Quod animo intenderam curavi hac Oratione perficere; quam ad te, Vir clarissime, mitto, non parum sollicitus, ne tibi magna-  
rum

rum rerum varietate districto sum molestus, ac  
 videar publicis commodis invidere. Sed quia nihil  
 unquam carius habuisti quam litteras, nihil anti-  
 quius quam earum cultores quam maximè, qui-  
 buscumque rebus potuisti, ac pro tua dignitate  
 juvare Et ornare, ausus sum te ad haec leviuscula  
 a gravissimis Reip. deliberationibus avertere: non  
 ut ea cognoscas, quae tibi notissima sunt, sed quia  
 te habeo aequissimum horum studiorum existima-  
 torem Et judicem. Cùm enim, Et antiquitate gene-  
 ris, Et gloria majorum maximè florens, acceptum  
 ab eis splendorem cuperes tuis augere virtutibus,  
 ingenium docile, come, aptum ad artes optimas,  
 iis disciplinarum praesidiis puer expolivisti, quae  
 te ad majora Reip. munera redderent paratiorem.  
 Juvenem maximis in coelum laudibus extulit civi-  
 tas haec humanissima, atque doctrinarum omnium  
 procreatrix Et parens, dum te ad HIERONYMI  
**GRIMALDI**, Legati prudentissimi, ac Patrui  
 sanctissimi, virtutes, vitam moresque tanquam in  
 speculo componere spectavit, atque domestici exem-  
 pli documenta intueri, ut inde tibi atque Reip.,  
 quod imitareris, caperes. Quantum verò in iis  
 artibus processissè, mature illustribus factis decla-  
 rasti: nam Orator a S. P. Q. Genuensi ad fœ-  
 dus cum Philippo V. sanciendum missus, adeo te  
 (a) in excogitandis, gerendisque rebus prudentem,  
 atque alacrem ostendisti, ut Legatione tuae Reip.

fun.

---

(a) Bonamici lib. 3. de bello Italico.

funetum cupiens Rex sapientissimus sibi conciliari,  
in Germaniam temporibus difficillimis cum manda-  
tis miserit: quae libenter suscipere patriae caritas  
fusas: nam Regis morem gerens voluntati affli-  
ctis civibus tuis esse praesidio sperabas. Deinde  
quasi praemonente fortuna, ut disjunctas terras  
lustrando diu ea perdisceres, quibus mox Hispa-  
niam beares, Ferdinandus, Philippi F., tibi Lega-  
tiones illustriores demandavit, quas diligenter fi-  
deliterque obeundo, tantam es celebritatem sermo-  
nis hominum consecutus, ut justissimus Regum  
Carolus te advocaverit, cuius consilio atque aucto-  
ritate pax bellaque regerentur. In excelso autem  
isto Et claro loco positus, ubi eos, qui nomine ma-  
gnifico segne otium velant, factis procul, verbis  
tenus philosophos, futilis atque puerilis doctrina  
deserit, multa edis justitiae, Et aequitatis, Et in-  
nocentiae egregia facinora, retinens, quod est dif-  
ficillimum, ex potentia modum. Praecipuis enim  
tibi decretis honoribus, eos solum vis, qui tuam  
animi moderationem, Et Regis voluntatem indicent,  
ut de Rep. nihil praeter gloriam capere videaris.  
Et, quae Philosophiae pars est pulcherrima, ita  
publicam salutem curas, ut magnitudine rerum  
gestarum, Et gerendarum prudentia non solum  
aetatis nostrae cum primis sis comparandus, sed  
ne de majoribus natu quidem quisquam antepo-  
natur. Cui igitur potius, quam tibi, hanc Oratio-  
nem inscriberem, qui litteris omnibus a pueritia

collati etiam ab aliis intercessi dedi-

deditus, magis tamen Urbes & mores inspiciendo,  
fraenandoque cultiorum gentium, quam discendo  
cognovisti, quanta justitia & aequitas, quanta  
Reip. quies, civiumque securitas capitali poena  
contineatur? Eam si libenter accipies, singulari  
tua comitate ingenium meum recreabis, atque ad  
majora excitabis: quod tamen ut facias, non au-  
deo vehementer a te plurimis verbis contendere;  
qui enim Regium hoc Sodalitium, ejusque alumnos  
omnibus & summis beneficiis semper ornasti, at-  
que apud beneficentissimum Regem commendare  
non cessas, ultiro es meis studiis praesidio & orna-  
mento futurus. Vale. Bononiae studiorum, e Re-  
giis aedibus Albornotianis. Idibus Maiis  
MDCLXX.

phases in which the U.S. government negotiates with both  
the U.S. and Chinese governments. This would be done by  
means of a joint committee, which would be responsible for  
negotiating the terms of the agreement. The Chinese  
would be represented by their Foreign Minister, and the  
U.S. would be represented by its Secretary of State. The  
committee would be responsible for negotiating the terms of  
the agreement, and would be responsible for ensuring that  
both sides fulfilled their obligations under the agreement.  
The committee would also be responsible for monitoring the  
implementation of the agreement, and for resolving any  
disputes that may arise between the two countries. The  
committee would be responsible for ensuring that the  
agreement is implemented in a timely and effective manner.  
The committee would be responsible for ensuring that the  
agreement is implemented in a way that is consistent with  
international law and that it does not violate any  
existing international agreements. The committee would  
also be responsible for ensuring that the agreement is  
implemented in a way that is consistent with the  
principles of democracy and human rights.



**R**equentissimis Sapientum querelis compertum est, plurimos esse, qui studio tacti contradicendi & gloriae cupiditate, ut & ipsi in inventoribus habeantur, stultè nauseant, Coelum, ut videantur sapere, vituperant (1), atque pro veris, pulchrisque Sententiis communi antiquorum, & recentiorum consensu confirmatis, & aevo consecratis, suas nobis obtrudunt fuitiles & commentitias, portenta & miracula non differentium, sed somniantium. Hoc cùm in aliis Artibus appareret, tūm in Jurisprudentia, magna prudentissimorum virorum indignatione aegrè ferentium homines, qui, cum artem aequi & boni praeclarissimam vix è lamine salutarint, quasi eos Justitia sibi Sacerdotes, Consiliarios, Duceisque adscivisset, Legum promos condos declarasset, reformatores, atque eversores, ima summis mutant, miscent: sana, incorrupta unâ cum ulcerosis, putribus secant, mutilant, lacerant. Aliquos esse artis nobilissimae naevos ultrò concedunt, non hi tantum, qui operam in ea expolienda, & illustranda navarunt, sed ipsimet juris authores & conditores homines se, & ingenii mortalis exiguitatem fatentur, nihil a se humani putant alienum, & penitus in nullo peccare divinitatis magis, quam mortalitatis esse (2). Deberent profecto superciliosi hujus-

B

modi

(1) Putant maledicendo, & contemptus specie affecuturos se, ut illis, quos despicerint, anteponantur; sed non idem est maledicere & vincere, despicere & antecellere. Joan. Ludovicus Vives de Caus. corrup. art. lib. I.

(2) Justin. Constitut. Tanta circa init. Digest. §. 14. 16. 18.

modi Censores, nullo suffragio creati, quam curam in criminationibus adornandis impendunt, omnem ad illius errores corrigendos traducere: sed ridiculè, dum vitia reprehendunt, in contraria currunt: & dum aliorum insectari volunt ignorantiam, suam confitentur. Quod ne gratis vobis dixisse videar (Adolesc. ornatiss.), absurdâ plurima, quae ex horum scriptionibus decerpta possem commemorare, silentio praeteribo: unum dumtaxat in medium profero, speciminis videlicet loco futurum; ita enim cautius ab auspicione studiorum cursum peragatis.

Quis unquam fando audivit, nullam esse poenae capitalis aequitatem, nullam utilitatem? Aut supplicium hocce reip. saluberrimum poenarum scopo repugnare? Quis unquam negavit, inermium civium, & innocentium incolumentem hoc rigore contineri? perniciosorum indomitam refrenari licentiam? Inventi sunt tamen (3), qui nullum

esse

(3) Anonym. Auctor libri: *dei delitti, e delle pene*, negat homines juste alios homines morte multare: quod ex ipso demonstro: l' aggregato delle minime porzioni possibili di libertà, messo nel pubblico deposito, forma il diritto di punire; tutto il di più è abuso, e non giustizia: è fatto, ma non già diritto. §. 2. p. 20. Atqui: chi è colui ch' abbia voluto lasciare ad altri uomini l' arbitrio d' ucciderlo? Come mai nel minimo sacrificio della libertà di ciascuno vi può essere quello del massimo tra tutti i beni la vita? §. 28. p. 103. Ergo: il diritto, che s' attribuiscono i loro simili non deriva dall' aggregato delle minime porzioni possibili della libertà di ciascuno per d. §. 28. dunque è di più dell' aggregato &c. dunque è abuso, e non giustizia. Q. E. D. Accedit quod poenam capitum tunc demum justam futuram adserit, cum aut utilis reip. aut necessaria judicetur: omni verò animi impetu probare conatur d. §. 28. neque utilem esse, neque necessariam: si duos tantum casus excidias. Ut sepe expediat maximas nugas agit, parum sibi congruentes, in Respons. P. 2. Accusat. 6. In primis enim *Juris* definitionem usque ad satietatem inculcat: potestatis verò ne descriptionem quidem adumbrat. Deinde nasci ait dall' *arbitraria confusione* indistinctam *juris*, & potestatis acceptancem: cum certum sit *jus gladii*, & potestatem unum idemque significare: v. l. 6. §. 8. D. de offic. Praef. l. 3. D. de Jurisd. junct. leg. II. & 12. D. de Pœnis. leg. 5. D. de Parricid. Neque Tribonianus, si foret hoc nostrum fato dilatus in avum, Leges has recidisset: ad earum enim sententiam se conformat Puffendorfius, qui præclare philosophatur, licet anterior hoc nostro secolo illuminato. Le Droit & le pouvoir renferment à peu près la même idée. Il y a seulement cette différence, que le Pouvoir insinue plus actuellement la possession actuelle d'une telle qualité par rapport aux choses, ou aux personnes, & ne désigne, qu' obscurément la manière dont on l' a aquise. Au lieu que le Droit donne à entendre proprement, & distinctement, que cette qualité a été légitimement aquise, & qu' ainsi on se l' attribue à juste titre. Lib. I. c. I.

esse rempubl. gubernatoribus jus mortem infligendi incredibili temeritate opinantur: nullam compellere necessitatem ad cives hac atroci severitate puniendos: nullum inde commodum ad Remp. redundare: atque dum bellum indicunt humanitati, humanitatis caussam se agere gloriantur. Optandum esset (Audit. huma.) ita esse Cives ad Legum normam honesta educatione compositos & formatos, ut amorem virtutis pectoribus impressum, & infixum gererent, ut non Decretis, sed bonis moribus Civitas gubernaretur.

(4) Pulcherrimum sane atque jucundum, puras ab humano sanguine manus conservare publicae tranquillitatis administratores! Verum tamen si homines scelesti in optima Civitatis constituta impingunt, atque effraeni libidine aliorum vitam, ac pecuniam invadunt, Reip. quietem perturbant: an hostem dicemus, non judicem agere, qui perditorum morte optimos quosque securos & tutos reddat, contraque illorum insidias munitos? Non ferrea mihi D.

B 2

O.

§. 20. edit. Barbeir. Si igitur non possumus chiamar Diritto la ragion di punire, quomodo la ragion di punire..... si chiamerà podestà giusta? D. Accus. 6: potestas nimirum jure destituta, che non è giustizia, ma abuso? At la comune legge della salvezza (ait Anonym. d. Acc. 6.) del popolo dà podestà di condannare a morte. Atqui suprema salutis publicæ lex a communi civium voluntate, & voto descendit, qui sese in alterius potestatem, & ditionem conferentes hanc primam legem dixerunt: *oli salus populi suprema lex esto*: ergo la podestà di condannare a morte est in sacro illo deposito (§. 2.) eritque jus. Præterea quomodo poenæ capitales a publicæ salutis procuratione manant, si imperium (§. 1.) & legum ferendarum auctoritas (§. 3.) a voluntatum coniunctione derivatur desiderantium, ut salutis publicæ depositum inviolatum custodiatur (§. 2.); poenas vero infligendi potestas non derivatur ab eo jure, a quo & imperium, & legum ferendarum auctoritas? §. 28. Postremò verbis ludit dum d. Accus. 6. ait, neminem in sacro illo deposito condidisse libertatem ad usum vitae necessariam: non enim hujusmodi libertate sese homines abdicarunt, sed legum cancellis effrænem libertatem concluserunt: lippis, & tonsoribus notum est illud Cicer. *Legum idcirco servi sumus, ut liberi esse possimus*. En quām crebris contradictionibus suam sententiam destruat Anonym., & quām profectò verum sit, quod errores tueri

*Es como el comer cerezas,  
Que en tirando de una sola  
Salen muchas detrás della.*

(4) Vid. Isocrat. in Areopagit. Vives lib. 7. de Caus. corrupt. art. Fortunatum illum, qui apud Livium lib. 1. c. 8. Ea pietate omnium animos imbuerat, ut fides ac iurandum, propulso legum ac pœnarum metu, civitatem regerent.

O. M., non silicea finxit praecordia: non sum duris **cav-**  
 tibus genitus: non hyrcanarum tigrium uberibus lactatus,  
 qui miserorum cladibus delecter: odio sum semper profe-  
 cutus Draconis, primi Atticarum Legum latoris, asperi-  
 tam, quae sanguine non atramento: a dracone, non ab  
 homine scriptae videbantur. Si vero moderatum poe-  
 nae capitalis usum, necessitatis & utilitatis cancellis cir-  
 cumscriptum, vel crudelitatis accusarem, vel iniquitatem,  
 non benigno me, non humano, sed imbecilli praeditum  
 animo ostenderem. Inhumanum enim est, orationis  
 vim & lenocinia, a natura ad salutem hominum & con-  
 servationem data, ad bonorum pestem perniciemque con-  
 vertere: non tamen ut hoc fugiendum est, ita habendum  
 est religioni nocentes, nefarios, impiosque defendere. Pro-  
 bat eorum interitum Sacra Religionis auctoritas: docet  
 naturae lumen insculptum mentibus: exigit Constitutio Ci-  
 vitatis. Nequeo (Adol. lectissimi) firmiora his, aut ro-  
 bustiora meae Orationis praesidia invenire: quare vobis  
 legum capitalium rigorem ex Religione, ex ratione, &  
 socialibus pactis demonstrabo justissimum. Faciles vos mi-  
 hi & attentos praebete: & quamquam a Praeceptoribus  
 vestris, principibus hujus aetatis Jurisconsultorum, qui-  
 bus Urbs clarissima abundat, haec assidue vos audire confi-  
 do, tamen conducere arbitror, talibus aures vestras vocibus  
 undique circumsonare. Neque gravate sustineatis, obsecro,  
 peregrini hominis aspectum, vocem. Arevacorum regio-  
 nem, ubi in communem hanc lucem editus sum, magno  
 terrarum intervallo a parvo Reno natura separavit; quae  
 verò me ad hanc Academiam, tanquam ad bonarum Artium  
 mercaturam, detulit fors fortunatissima, arctissimo  
 caritatis vinculo vobis conjunxit. Dignam merito gratiam  
 reperdite. Exemplo vobis praecedunt nobilissimi, atque  
 omnibus naturae, & animi dotibus ornatisimi Patriae Pa-  
 tres, Senatus amplissimus. Cum Ægidii æternae memoriae  
 Card. Albornotii amorem, quasi haereditatem a majoribus  
 acceperint, quoniam virum præstantissimum, omni laude

maorem, officiis prosequi non licet ex oculis sublatum, Albornotianas S. Clementis aedes, munificentiae illius pignus, & monumentum, tot semper beneficiis, tantoque honore cumularunt, ut extra Bononiam natis nefas sit Patriae jura desiderare (5).

Constat ad salutem Civium, Civitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam & beatam, inventas esse leges, eosque qui primum ejusmodi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscriptis, susceptisque honeste, beateque viverent. Quam opinionem ut eis inspirarent, conati sunt animos commentis flectere, quae se caros Diis ostenderent, eorumque usos familiaritate. Nam cum maxima fuerit semper apud homines de immortalium justitiâ, atque sapientiâ existimatio, nulla potiori ratione poterant legibus honorem, venerationemque conciliare, quam si a Divinis consiliis derivatas, non humanis excogitatas ingeniis persuaderent (6). Verum licet fabulis potuerint auctoritatem apud deluos populos legibus a se inventis comparare, immutabiles tamen aequitatis regulas nequivere commentis exsculpere. \* Illis tantummodo gentibus, quas D. O. M. in haereditatem sibi delegit, singularis haec dignitas contigit, ut inenarrabili Creatoris benevolentia justitiae fontibus referatis, verbum suum annuntiaverit, judicia sua manifestaverit. Hebraeis primum leges digito suo scriptas dedit; nobis deinde locutus est in Filio suo. Quam oportet sanctas, aequas, irreprehensas leges ab ipsa Sapientia, Justitiaque derivari! (7). Quam ex omni parte sibi congruentes! Quam appositas ad negotia! Quam subjectis

uti.

(5) Ut alia præclara beneficia, quibus S. P. Q. Bononiensis almum Regium Collegium Majus S. Clementis ornavit, silentio præterea, anno 1395. die 20. Octobris illius Rectorem, & Sodales jure civitatis donavit.

\* Vid. Vives lib. 2. de veritate Fidei Christi.

(6) Hac de causa Minos Creticarum legum lator, & conditor conversationem ostentavit cum Jove: Lycurgus Spartanarum auctorem Apollinem Delphicum finxit: Numa sibi cum Dea Egeria congressus nocturnos simulavit. Quorum etiam versatum consilium inire Zaleucus, Osiris, aliique.

(7) V. Philo in Flaccum.

utiles? In divina autem Judaeorum Jurisprudentia frequen-  
tissimae sunt poenae capitales: Homicidium, Adulterium,  
Incestus; crimina, quae a Natura abhorrent, quaeque adeo  
turpia sunt, ut nefas sit eorum nominibus orationem in-  
quinare: plagium, Festorum solemnium, atque Sabbati  
violatio, ut alia praeteream, inevitabili morte luebantur.  
Atque frequentes adeo poenas multiplex, ac severa illas  
sumendi ratio multò efficit asperimas: Rei enim non  
omnes brevi supplicio, sed variis exquisitisque interibant:  
alii in crucem elevati, in qua corvos pascerent: alii gla-  
dio caesi: alii igne consumpti: alii lapidibus confecti &  
obruti: alii e saxo praecepites dejecti: alii in frusta con-  
cisi animam efflabant, & extremum spiritum. Neque sa-  
piens ille Populus adeò erat, aut commodorum suorum  
ignarus, aut viribus desertus, ut nesciret, miserandos ho-  
mines, si perpetuae servituti addicerentur, & utilitati Rei-  
publicae, & exemplo reliquis sine intermissione futuros.  
Crescebant in Israele opera publica, quibus poterant adsi-  
dui reorum labores magnum addere incrementum. Erat  
munitissima Carcerum custodia, in qua scelerati compedi-  
bus nervisque vinciti detinerentur. Deum autem O. M. qui  
lenis est, misericors, & longanimis, tam asperas designasse  
poenas eâ ferocitate ductum, quâ homicida innocentem  
tracidat, nemo est adeo insanus, ut audeat impudenti va-  
nitate delyrare (8). Publicos verò Justitiae Sacerdotes, ad  
quos spectabat poenarum impositio, nulla reorum misera-  
tione commoveri, sed aequanimititer, & tranquillè suppicia  
decernere, immò stupidâ indolentiâ ea contemplari, tacitâ  
fortasse auctoritatis delectatione (9); in pravos illos cadet

nota

(8) Quare neque in Hebræorum, neque in gentium humaniorum legislato-  
rem cadit nova illa, atque audacissima Anonymi sententia audacissimis verbis  
expressa §. 27. Il medesimo spirto di ferocia, che guidava la mano del Legisla-  
tore, reggeva quella del Parricida, e del Sicario: sul trono dettava leggi di ferro  
ad anime atroci di sebiavi.

(9) Uti suspicatur Anonymus §. 28. Rectius de Judicum erga reos affectu ju-  
dicant cùm Tertullianus ad Scap. c. 4. Potes, ait, & officio jurisdictionis tua fungi,  
& humanitatis meminisse: tum Augustin. rel. Causa 23. q. 5. can. 16. Officia vin-  
dicta possunt implere boni bono animo: quomodo lex, quomodo judex. Verùm ta-

nota turpissima , qui data sibi potestate , ut gratiae serviant vel odio , abutuntur , non in viros supremo rerum Domino probatos , atque carissimos . Quis saevitiae Moysem insimulet , quem Deus in fide , & lenitate ipsius sanctum fecit , & elegit ex omni carne ? qui tanta gentem suam caritate complectebatur , ut mallet ipse de libro vitae delexi , quam illam Domini furore exterminari ? Cujus tantum est ingenii flumen , tanta dicendi , tanta scribendi vis , quae non dicam exornare , sed adumbrare possit Regis mitissimi Davidis misericordiam , mansuetudinem , lenitatem . Nihil tamen antiquius , nihil majus , nihil Deo gratius ipse putabat , quam sceleratos maturo supplicio de terra delere ( 10 ) . Militem Sauli mortem intulisse gloriantem , & perfidos Isbosethi oppressores neci tradidit : Moabitas carpentis contrivit : e civibus Rabath alias dissecuit medios , alias membratim concidit , alias in ardentes fornaces conjecit . In Semejum , & Joabum Regiae Dignitatis vindicem filium designavit . Quae a lenissimo viro decretae poenae satis capitalis supplicii aequitatem probare mihi videntur . Nam quos in eum hanc ob rem cachinnos concitant , quaeque convicia spurcissimis jocis contexunt nebulones impudentissimi , in laudum numero pono : id demum turpe esset , ab iis laudari , quibus sacra & honesta omnia foetent ; pessima quaeque & impudica sapiunt . Qui autem Hebraeorum Rempublicam a Deo administratam , prodigiaque in ejus gubernatione facta commemo-  
rant , ne ab eis humanarum legum exempla petamus ( 11 )

tur-

men , ut idem ait in Psalm . 108 . Paucorum est dignoscere quomodo placeat pena ini-  
quorum accusatori inimicitia se saturare cupienti , & quam longè alio modo placeat ju-  
dici recta voluntate peccata punienti . V. Senec . 1. de Clement . 13. , & ibi Lips .

( 10 ) Psalm . 100. , & ibi Bossuet .

( 11 ) Anonym . § . 42. , & in Respons . Part . 2. Accus . 6. Non parlo di quel po-  
polo eletto da Dio , a cui i miracoli più straordinari , e le grazie più segnalate  
tengono luogo dell' umana politica . In quibus errat : quamvis enim Hebraeorum  
*πολιτεία* initio reip . esset θεοκρατία , uti habet Josephus lib . 2. contra Appion . c . 6.  
quod & Deus Moysi , atque 70. Senioribus , in quos Moysis spiritum distribuerat ,  
quid esset agendum , significaret , atque Samuel omnia Dei spiritu gubernaret ;  
ipse tamen Moyses reputans futurum , ut in terra promissionis ea ratio *πολιτείας*

turpiter falluntur; eam enim, & ab uno Rege, & a paucis optimatibus unâ cum populo gestam norunt omnes, & vel ipsi domesticarum laudum praecones testantur Judaei. Nos etiam non ostenta, non monstrâ producimus, semel aut raro visa, sed leges quae diu valuerunt; quas nemo unquam negavit, si paucas demas, posse a legum latoribus instaurari (12); uti plures Capitales suscitatas esse sciunt, qui vel summis labris sacra Canonum, aut Civilia jura gustarunt (13). Dum verò Servatoris nostri lenitatem praedicant, quasi legis rigorem solvere, non adimplere venisse crederent (14), se doctrinae a Divino Magistro traditae recordari nolle demonstrant (15).

Cum primùm enim Divinus Servator noster sapientiam devocavit è Coelo, & in Urbibus collocavit, & in Domos etiam introduxit, & coegit de vita, & moribus, rebusque bonis, & malis rectè sentire, lumen illud cordibus

haberetur incommoda, jussit in omnibus civitatibus judices constitui, qui justo iudicio judicarent, nec in alteram partem declinarent, nec personas acciperent, nec munera 16. Deuter. 18. seq. Quæ in hominem duntaxat cadunt nullo Divini Spiritus auxilio judicantem. Et revera Samuelis filii ita iudicia perverterunt, ut populum ad petendum regem excitarint. Reges etiam, vel legis tenacissimi, omnia manu gerebant, & causas definiebant secundum leges Moysis, non tamen per miracula, neque per Dei sententiam prophetis revelataim. Post Regum nomen captivitate Babylonica deletum, ipse Josephus testatur lib. 11. Antiquit. cap. 4. Aristocraticam quamdam remp. fuisse Oligarchiâ mixtam, in qua potissimas partes Sacerdotes haberent: stetisseque usque ad Ammonæos, cùm Regia iterum surrexit potestas. V. Antiquit. lib. 11. c. 1., & lib. 12. c. 5., & I. Machab. 12. 20.

(12) Anonym. Part. 2. Accusat. 6. *Come colla promulgazione del Vangelo, e della Legge di Grazia siano state abrogate non tanto le ceremoniali Leggi dell' antico testamento, quanto le Giudiziarie.... cose sono di una molto facile erudizione.* Et tamen in re facillima errat Anonym. adserens per Evangelium non tam ceremonialia præcepta, quæ suscitari nequeunt, abrogata fuisse, quam iudicia, quæ iterum suscitari posse nemo est qui neget, modò juris Canonici limina salutarit.

(13) Ut alias omittam, poenæ capitales c. 21. Exod. 14, & c. 22. v. 2. totidem verbis translatæ sunt in c. 1., & 3. tit. 12. lib. 5. Decretal. Greg. IX.

(14) V. Matth. V. 17., & Grot. lib. 1. de J. B., & P. c. 2. Posse cum Legibus capitalibus lenissima Christi præcepta consistere probat Augustin. lib. 1. qq. Evangelic. q. 10., & in epist. ad Macedon.

(15) Ne cum Statutis Poloniæ sensisse dicamus, in quibus C. XV. Artic. VI. leg. 7. circa poenam homicidii nobilibus inflingendam hæc habet audaciora Casimirus Rex: *Nos Divini Juris rigorem moderantes &c.*

bus inscriptum, quod fuerat ab infipientia pravisque moribus obscuratum, pristino splendori restituit: ac legem instauravit, primis hominum propagatoribus dictam, ejus videlicet, qui alterius sanguinem effuderit, sanguinem vicissim effundendum. Quia verò homicidas puniendi facultas omnis erat in publicas potestates jure translata, qui terrena regna noluit adimere, non ad hoc leges suas induxit, ut everteret τὰς πολιτείας, sed ut ad melius institueret. Et perfectum, quoad ejus fieri potest, voluit esse Reip. statum, si nimirum suppliciis constitutis praedonum audacia malorumque licentia reprimetur. Ideo Caesari tributa deberi dixit, quibus armatos pacis custodes sustentaret: Praefidi, qui impiorum sanguinem cum victimarum cruento miscuerat, nullam injustitiae notam inussit: neque ei, a quo judicabatur, potestatem ademit (16). Discipulos emere gladium jussit; paratam igitur esse voluit defensionem\*: gladios enim habere certè non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Felix latro, qui cum ipso passus, cum eo simul coronam accepit, inter mortis angustias digna meritis se recipere fassus est; quod nemo nisi nocens neget insanus. Optimus legis interpres Paulus, si mortem meruisset, mori non recusabat (17); factiosorumque conspirationem militari submovit auxilio, summa usus prudentia, nulla criminis accusatione. Nam si Reges non frustra gladium portant, a Deo acceptum, quid hic e balteo pendens agit? Cujus latus petit? Quod munus praestat? Qui sensus est armorum, quae salutem populi tuentur in uno repositam? Non profectò gestamen est, aut ornamentum inutile, quod intuitum oculos rapiat: non importunus apparatus, quò magnificenter solemnes pompaे ducantur: sed instrumenta ad timorem & vindictam malorum, laudem verò &

C

tran-

(16) V. D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 1. ad 2. Estium ad Joann. XIX. 11.

\* V. Ambros. lib. 10. in Lucam c. 22.

(17) Act. 25., &amp; 28. Vid. Can. 93. in Codice Eccles. Africanæ, &amp; Caus. 23. q. 5. c. 8.

tranquillitatem bonorum comparata. Repellunt utique arma peregrinos hostes, qui pacem turbant, & fines Imperii: gloriam populi continent, salutemque sociorum; parum tamen prodesset magna, graviaque bella gerere, quibus & pacis decora, & bona civium adversus exterios munirentur, nisi quae seditione, scelere, dolis, atque ira & libidine foeda, crudeliaque facinora intra patrios muros fuit, armis decorata majestas cohiberet. Frustra enim gladius, victoriam adeptus, nocendi potestatem hostibus admittit, nisi Civibus, qui pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi, nihil moderati habent, injuriae licentiam eripiat. Itaque mirandum non est (Ado. Orna.) Sapientissimos Doctores, a quibus Servatoris doctrina, quasi per manus tradita, ad nos usque pervenit, in ea perpetuo sententia fuisse (18), Christianos Judices justissime capitalia supplicia decernere. Nam quod Christus mulierem in adulterio deprehensam dimiserit, Apostolos ignem a coelo descendere cupientes increpuerit, Ecclesia que pro reis intercedat, nihil poenae capitalis aequitati detrahit. Adulteram enim salvam dimitens, non legem improbat, sed Judaeos, quorum judicio posset occidi, terrore conabatur ad misericordiam revocare. Discipulos autem ideo increpuit, quia si fulmina quoties peccant homines mitterentur, nullus esset clementiae locus: reprehendit etiam odium vindictae, quod hospitio non exceptis foris subrepserat, non tamen exemplum Heliae, vatis sanctissimi, neque zelum iustitiae. Nam & postquam infuso Spiritu Sancto credentium erat cor unum, & anima una, verbis Petri Ananias & uxori ejus exanimes ceciderunt; &

Pau-

(18) Sæculo I. e novo Testamento extat locus apud Matth. XXVI. 52. ex Gen. IX. 5. 6. Luc. XIII. ubi vid. Cyrill. in Catena D. Thom., & XXIII. 41. Joann. XIX. 11. Actuum XXV. 11. , & XXVIII. 18. II. Justin. Apologetic. 2. III. Constitut. Apostolic. lib. 7. c. 3. , & 23. Origenes lib. 3. 7. 8. contra Celsum. Clemens Alexand. Pædag. lib. 2. c. 11. Oratio Militis e Legione Thebana. Tertullian. de Corona c. 11. 12. de Spectac. c. 19. de Anima c. 33. ad Scapulam c. 4. Apologetic. c. 2. De sequentibus temporibus taceo, ne videar rem certissimam in dubium probando revocare.

Paulus magnum Elymam credituros a Fide retrahentem caecitate percussit. Dum verò pro reis intercedit Ecclesia, non poenas damnat: imò nullus esset precibus locus, si justa supplicia non essent; sed Magistratum animos delinire nititur, ut nihil fiat immaniter, nihil inhumanè (19). Nullum vult pia mater filium gladio perire: sed, ut verba usurpem Augustini, (20) *si aliter non meruit pacem habere Domus David, nisi Absalon ejus in bello.... fuisse extinctus; quamvis magna cura mandaverat suis, ut eum quantum possent, vivum, salvumque servarent, ut esset cui poenitenti paternus affectus ignosceret: quid ei restitit, nisi perditum flere, & sui regni pace adquisita suam modestiam consolari?* Dolorem materni cordis lenit & sanat Ecclesia innocentium liberatione & securitate: neque aegrè fert, ut quo uno modo possunt, desinant esse mali, quibus vitae exitus remedium est: optimumque esse reputat obire eis, qui nunquam sunt ad se redituri (21).

Cessent igitur iudiciis nostris Christianam lenitatem, quasi a nobis conculcetur, opponere; ne aut divinam mansuetudinem traducere, aut quae non intelligunt, accusare videantur. Haec vobis (Audi.) e veteri, novoque foedere argumenta deprompta sufficerent: sed quia misera hac aetate minus haec quibusdam probantur, qui volunt omnia ratione metiri, propositum ratione confirmabo.

Prae caeteris itaque dotibus, quibus optimus mundi

C 2

Con-

(19) V. Augustin. d. epist. ad Macedon., quæ tota in hoc argumento versatur, uti & Ambros. epist. ad Studium.

(20) Caus. 23. q. 5. can. 48.

(21) Seneca 1. de Ira. 15. 16., & 7. de Benef. 20. Plato in Gorgia: Οὐκ ἀμενον ἔστι ζῆν τῷ μοχθηρῷ· κακῶς γὰρ οὐδέγκεν ἔστι ζῆν. Et Caus. 23. q. 4. c. 51. ait Augustin. Magni, & sancti viri.... nonnulla peccata morte puniebantur, quod & viventibus utilis metus incuteretur, & ipsis, qui morte puniebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum, quod augeri posset, si viverent, diminueretur. Neque cum vita simul poenitentiae tempus praecidi, probant leges omnium populorum; vitæ enim spatiū ad deflenda peccata concedunt: atque exemplo latronis cum Christo crucifixi patet, docetque Caus. 26. q. 6. can. 12. 13: quia uti ead. q. c. 10. ait S. Leo: *Misericordia Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire; apud quem nullas patitur moras conversio, dicente Dei Spiritu per Prophetam: cum conuersus ingenueris, tunc salvus eris.*

Conditor mentem, justi capacem, rerum reginam, verborum morumque opificem, distinxit & ornavit, ea lucidissimè radiat vera lex, recta ratio, constans, sempiterna, quae vocat ad officium jubendo, vetando a fraude deterret: quae stat contra scelestos, & secretam ganniens in aurem malis mala minatur, illud perpetuò occinens, ut quod quisque alieno excogitavit supplicio, excipiat suo (22). Tanta est ejus vis, tamquam altas in mortalium animis radices egit, ut non solum adversus coeteros aequitatem poenarum testetur, sed vel ipsimet fontes severum judicem, & tortorem eam sibi constituant. Quare nemo est, qui, cum omnia divina atque humana jura scelere nefario pervertens hominem jugulaverit, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possit. Scimus enim quos nobis poetae tradiderunt, patris ulcisciendi causa supplicium a matre sumpsisse, cum praesertim Deorum immortalium jussis, atque oraculis id fecisse dicantur, tamen ut eos agitarent furiae, neque consistere usquam paterentur. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam religionem habet humanus sanguis. Nolite enim putare eos, qui aliquid impiè scelerateque commiserant, agitatos fuisse & perterritos furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus, & suus terror maximè vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque adficit: suae malae cogitationes, conscientiaeque animi terrent: hae sunt impiis assidue domesticae furiae, quae dies noctesque poenas a sceleratissimis repeatant (23). Talia exempla non fictae tantum.

(22) Senec. Præf. 5. Controvers. Imò Pythagoreorum αὐτιπεπονθὸς talio ideo non probatur, quia qui nocuit, majus ipse, quam intulit, damnum ferre debet; ne par sit innocentis, & nocentis periculum. Inde apud Indos, uti scribit Strabo lib. 15., qui alterius membrum mutilasset, manu supra talionem truncabatur. Et Aristoteles lib. I. Magnor. Moral. Οὐ δίκαιον, ἐπὶ τις τὸν ὀφθαλμὸν ἔξικολέ τίνος, αὐτεκκοπῆται μόνον, ἀλλὰ πλείονε παθεῖν: iujustum est, si quis alterius oculum eruerit, ipsi è contra effodi solūm, sed & amplius patiatur. V. Aristidem Leutric. 2. Verùm quia natura non fert homicidam, plurimas mortes meritum, plurimis affici, exsolvat se unica, uti recte ait Philo lib. 2. de Legib. specialib.

(23) Ex Cicerone pro Rosc. Amer., & alibi.

tummodo fabulae, verum etiam historiae exhibent, & quidem maximè sacrae. Cainus enim, postquam impias manus fraterno sanguine polluerat, tam acerbis conscientiae flagellis torquebatur, tantus eum metus premebat, ut a nullo, qui obviam occurreret, tutum se & munitum crederet: ab omnibus sibi mortem intentari suspicabatur: poenam semper ante oculos versari putabat; unde vero, nisi intus a communi sensu, intelligentiaque monstratum (24)? Cuncti enim mortales, ita in injurios homines excandescimus, ut etiamsi nos injuria non tangat, indignationem tamen nostram cum laesis conjungamus (25): adeo nos innata justitiae flamma incendit, ut ad poenas exigendas efferamur cupiditate quadam incredibili. Et quamvis cum aut furtum audimus, aut rapinam, aut crimen aliud, quo vita non laeditur, indignanter feramus, tam acriter tamen non adficiuntur, quam cum prostratum civem intelligimus, cuius atrocissima caedes urbem terrore complevit. Subit illico miseranda morientis forma. Animam vulneribus exhalans coelum orat, clamat gemebundus, deprecatur; sed lacrymae volvuntur inanes: atrox inimicus manet obnixus. Sternitur miser, exanimisque procumbit humi vir. Quem olim vel aetate, vel opibus, aut honoribus, ingenuo, liberis, propinquis, amicis florentem novimus, jacet manus oraque lacerus: raptis auribus populata tempora: truncæ nares: squallens barba, & coma sanguine concreta: caput humeris avulsum, & corpus crudeliter laniatum. Saevo primum horrore animus occupatur, stupore deinde: ira denique accensus, ejus, cui tantum licuit, poenas spirat, poenas saepissime pectore revolvit, poenas verbis requirit. Crescit justus poenarum amor, cum tristissimæ domus facies animo obversatur: vix fama nuntia ad tenerae

(24) Juvenal. Satyr. 13. . . . prima est hac ultio, quod se  
Judice, nemo nocens absolvitur, improba quamvis  
Gratia fallaci Pratoris vicerit urna. Et alii.

(25) Chrysostom. Orat. XIII. de Statuis: τὸ συνναγοντεῖν τοῖς ὑβριζομένοις φυσικὸν ἀπαντεῖ ἔχομεν· εὐθέως οὖν τοῖς ἐπηρεάζουσιν ἔχθροὶ γινόμεναι, καὶ μηδὲν φίμεν αὐτοὶ πεπονθότες.

nerae conjugis , dulciumque natorum aures accedit , subitus miseris calor relinquunt : pugnis pectus percutiunt : scindunt comas : questibus domum implent : lamentis , gemitu , faemineo ululatu tecta fremunt . Cui non lacrymas tantus luctus eliciat ? Quis immeritae calamitatis fontem non oderit ? Quis non petat par illius meritis supplicium referri ? Certè si ponderibus & modulis suis utitur ratio , atque uti quaeque res est , aequas irrogat poenas , nemo potest acerbam insidiatoris mortem jure improbare . Debet enim supplicium delictis quam maximè (26) respondere , atque adeò aptari & congruere , ut qui corpus alterius laesit , nequeat suum pretio redimere (27) . Nulla autem poena homicidii atrocitati congruentior , nulla magis consona , atque ex omni parte respondens , quam capitalis . Vitam adimenti adimit vitam : summum bonum auferens summo bono privatur . Immane itaque divitis facinus , qui pecunia potentumque amicitia fretus , divitias in utilitatem Patriae quaesitas , in ejus civiumque perniciem convertit , corpore debet puniri . Intolerabile enim est , eum , cui Magistratum familiaritas , optimatum favor , fortunorum copia facilem reddunt justam de iniquo offensore vindictam , iis praesidiis ad virtutem uti nolle , velle tamen ad violentiam abuti . Timendumque est , ne impudens aliquorum divitiis affluentium procacitas eo audaciae deve-  
niat , quò Lucium Neratium , hominem egregiè improbum & immanni vecordia , pervenisse , fuit a veteribus memoriae proditum . Nam cum pro delectamento haberet , os hominis liberi manus sua palma verberare , eum servus sequebatur crumenam portitans , ut , quemcumque depalmasset , mulctam secundùm XII. Tab. numerari juberet (28) .

Haec

---

(26) Anonym. §. 19. *La pena sia conforme quanto più si possa alla natura del delitto.* Errat tamen , dum §. 7. detimento reip. maleficia metitur : sit enim ci- vis , vel insidiis interemptus , vel casu , nihil ad reip. detrimentum , ad pœnam tamen insidiatoris multùm intererit .

(27) Numer. XXXV. 31. 33. Anonym. §. 20. *I delitti contro la persona debbono infallibilmente esser puniti con pene corporali ; nè il grande , nè il ricco debbono mettere a prezzo gli attentati contro il debole , ed il povero .*

(28) Gell. lib. 20. c. 1.

Haec sunt Juris naturalis dictata, quae ne vobis (Ado. opt.) pravè colligere videar, gentium omnium opinionem repetite, non institutis confirmatam, non legibus, sed communi quodam placito e rationis fonte haustam & expressam. Quae etenim natio, quae gens sceleratos non aspernatur, non odit, non interimit? Alia quidem apud alios fuere graviora crimina; in eo tamen omnes consenserent, ut maleficorum morte maleficia coercentur. Firmissimum porro argumentum, naturam de hujus poenae aequitate tacitam judicare. Nam cum poenitus vana non sit sententia, quae a multis populis laudatur, & magnum sit veritatis indicium ab omnibus probari (29), meritò pro certa habemus gentium omnium confessionem, & legem naturae putamus. Nam difficile captu est, quomodo gentes vel barbarae, vel humaniores, locis dissitae, nullo amicitiae vinculo sociatae, nullo mixtae commercio, singulae a se invicem discrepantes, in unum quasi ex compacto convenerint, ut homines quandoque acerbo capitis supplicio punirent, nisi legem animis ingenitam hoc eis praescripsisse existimemus. Fuit quidem in remotis plagiis, totoque humanitatis confortio divisis ignobilis natio: fuere populorum Rectores, qui nemini etiam perniciosissimo vitam adimerent: Sed quis aequi & justi normam gentem statuat obscuram, nullius unquam praeconiis celebratam, quae moribus sordidis pro lege utebatur, nec debitam fontibus poenam infligebat, ut cumulus ad immanitatem accederet (30)? Quis ut paucos laudet sibi

con-

(29) Aristot. Nicomach. X. 2. Οὐ γὰρ πᾶσι δοκεῖ, τοῦτο ἀναι φαμὲν, ὁ διανυπὸν ταύτην τὴν πίστιν οὐ πάντα πιστότερα ἔρει: Quod omnibus ita videtur, id ita esse dicimus, qui vero hanc fidem velit tollere, nibilo ipse credibilia dicit. Cic. I. Tuscul. 13. &c.

(30) Ne nomen quidem gentis posteris prodidit Strabo lib. XI. Inter παράδοξα, quæ de Barbaris narrare pollicetur, enumerat, eos pessima meritis mortem non irrogare, sed solum in exilium cum filiis mittere: μηδένας ἀποκτένειν τῶν εξαμαρταντων τὰ μέγιστα, ἀλλ' ἐξοπίζειν μόνον μετὰ τέκνων. Et παράδοξον profecto est, gentem cuius iniqua erga reos humanitas ab Anonym. prædicatur, tam asperè in reorum liberos sceleris puros animadvertisse. Illos nimis longè ante hoc nostrum seculo illuminato fugit, quam sit acerbum parentum sceleris

consentientes, aut imbecillitate ductos, aut popularem benignitatem ostentandi desiderio (31), praestantissimos Reges & Legum latores accuset, quibus cum non sunt, quos nobis commemorant, neque belli aut pacis artibus, neque comitate, aut subditorum caritate conferendi? Aegyptus Legum & Doctrinarum inventrix: Athenae, a quibus ad alios pervenisse putatur humanitas: Roma, una in omnibus terris Domus virtutis, imperii, dignitatis, clarissima Legum exempla proponunt: tanta enim apparet harum gentium sapientia in jure constituendo, quanta in tantis opibus imperii comparandis. Ridiculè igitur populos celebrant, oblivionis tenebris sine gloria sepultos, ut sapientissimas Leges obscurent, quae ad effigiem diligentis, & moderati imperii scriptae, omnia eò retulere, ut cives efficerent quam beatissimos: itaque bibliothecas omnium philosophorum dicuntur, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare. Neque prudentes illarum conditores latuit naturalis inter homines cognatio, quae mutua nos

*filiorum pœnis lui*, Cic. ep. ad Brut. *Peccata suos tenere autores, nec ulterius progredi metum, quam reperiatur delictum*, leg. 22. Codic. Justin. de pœnis: & rationi naturali repugnare filium ob delicta patris puniri. V. Anton. Matth. in lib. 48. D. tit. 2., & vix excusari sobolis punitionem, quæ ad parentum perduellum exempla succresceret. V. Perez lib. IX. C. tit. 8; sed quî poterant in pœnis irrogandis non cæcutire populi τελέως barbari, atque adeò ab humanitate, abhorrentes, ut cum angustam regionem plurimæ gentes incolerent, proprio unaquæque sermone utebatur, quia sparsim, & impermixtè habitabant, atque ob pervicaciam, & immanitatem: διὰ τὸ σποραδίν, καὶ ἀμίκτως οἰκεῖν, καὶ ὑπὸ αὐθαδίας, καὶ ἀγριότητος? Strabo ibid. Quare parum firmum præsidium a barbaris hominibus quærerit Anonym.

*Non isto auxilio, non defensoribus istis  
Tempus eget.*

(31) Laudat Elisabetham Russorum Imperatricem Anonym. §. 23. Sed cui præstantiores possis hoc sæculo Reges opponere, qui pœnas capitis probarunt. Provocat ib. ad *Sabacchonem*, præclarum revera humanitatis exemplar, qui & Aegyptum armis occupavit, & captum Bocchorim justum Aegypti Regem vivum igni tradidit. *Mauritii* verò, *Anastasii*, *Isaaci* Impp. lenitas non magnopere commendanda D. Accus. 6: primus enim nolens milites a barbaro Rege captos vilissimo redimere, victoris immanitati trucidandos reliquit; ab altero autem Rei auro veniam impetrabant, munera vendebantur, subjecti spoliabantur; postremus denique *Andronicum Commenum* imperio dejicit, atrocissimè occidit, ejusque liberis oculos effodit: sed parem retulit pœnam, cùm vitâ impudicissimè actâ fuit ab *Alexi* fratre excæctatus.

nos benevolentia copulans ad misericordiam trahit: non fugit eos humanitas, quam velut e profundo nuper emergam serio aliqui triumphant. Graves etenim poenas, & virgis coedere, & necare veteres illi prohibuerunt. Is erat hominum pudor, is cuique bonae existimationis amor, ut honoris jacturam vinculum satis validum legum crederent; sed cum mites poenae contemnerentur, ventum ad duras (32). Verum tamen eam duritiem poenis injunxerunt, quae a nemine potest crudelitatis insimulari, nisi specioso clementiae nomine deceptus, ita vera rerum vocabula amiserit, ut misericordiam & mansuetudinem nominet promiscuam, & vulgarem Clementiam, vitium pusilli animi ad speciem alienorum malorum succidentis, pessimo cuique familiarissimum, quo imbelles anus, & mulierculae

D

infe.

(32) Non solum Plato voluit in sua Republica commercium & conspectum homicidæ defugi, at vitam ei non eripi *de Legib. lib. 9.* sed & in Græcia olim usurpatum docet Euripides in Oreste v. 511. seq.

*Καλῶς ἐθέρτο ταῦτα πατέρες οἱ πάλαι  
Εἰς ὅμιλον μέν ἀφίν οὐκ ἄων περᾶν,  
Οὐδὲ εἰς ἀπάντημ, ὅστις αἴμ' ἔχων κυρεῖ.  
Φυγαῖσι δὲ ὁσιοῦν ἀνταποκτῆναι δὲ μή.*

Quod & Thucydides confirmat lib. 3. Similia refert de Romanis Laetantius lib. 2. c. 10. Inst. Div. Exulibus quoque igni, & aqua interdici solebat; adhuc enim videbatur nefas, quamvis malos, tamen homines suppicio capitis adficere. Et Servius ad 2. Æneid. v. 229. adserit antiquorum omnes poenas pecuniarias fuisse, quare 6. Æneid. v. 20. pendere poenas, tractum, ait, a pecuniaria damnatione. Sed cum tractu temporis pernicioса lenitas videretur, ab ea recessum est: *εἰδὼς*, ait Thucyd. τὸ παλαιὸν τῷ μεγιστῷ ἀδικημάτῳ μαλακώτερας κένσονται τὰς ζημιὰς, παρεβαυομένων δὲ τῷ χρόνῳ εἰς τὸν δάνατον οὐ πολλαὶ ἀνίκουσι. Atque judicium capitis in Areopago primū actum teste Plinio lib. 7. c. 36. Eamdem severitatem induerunt postea abjecta lenitate Romani. Valeria lex, ait Liv. lib. 10. c. 9., cum eum, qui provocasset, virgis cedi, securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra quam improbè factum adjecit. Id (qui tunc pudor hominum erat) visum, credo, vinculum satis validum legum. Nunc vix serio ita minetur quisquam. Habuerunt itaque veteres rationem humanitatis, sed necessitate compulsi ad acerbitatēm devenere. Recens etiam nobis hujus consilii exemplum suppeditat *o πάτερ* Benedictus XIV. Bononiæ, imo & Ecclesiæ Catholicæ decus, & ornamentum, de quo hæc prodit *la Gazette Litteraire*, & *Univers. d' Europe a Lausanne lundi 30 May 1768. Num. IX. §. XXXV.* Benoit XIV. Pape d'un génie supérieur, sentit son erreur dans l'usage du temperament, que lui dictoit son humanité, lorsque ayant passé plusieurs années sans vouloir signier un arrêt de mort, il vit s'accroître les crimes, & se trouva forcé de revenir aux executions.

infectae lacrymis nocentissimorum commoventur, carceremque, si liceret, effringerent. Aliam sanè veramque clementiam prudentes intelligunt, animi temperantiam in poenis constituendis; moderationem aliquid ex eis remittentem: alienae miseriae in corde nostro commiserationem: summam etiam vilissimi sanguinis parsimoniam: Regum ornamentum pulcherrimum: quos non dignius illustrant arma victis detracta, non currus hostium sanguine cruenti, non parta bello spolia: quos non diuturnior triumphus extollit, quam adsiduum virtutis spectaculum, dum quisquis alienam de capite suo sententiam expectavit, in Servatoris sui gloriam vivit, plusque illius gloriae confert incolumis, quam si fuisset e numero vivorum ablatus. Pulcherrimam hanc virtutem omnes crudelitati contrariam fatentur; atrocitati videlicet, quae in poenis exigendis inclinat ad asperiora: saevitiae quae puniendi causam habet, modum non habet: ferinae rabiei, quae & sono catenarum gaudet, & vulneribus, & sanguine delectatur, & abjecto homine in silvestre aliquod animal transit. Sed iniquè eam quis opponat severitati, quae ex causa ac necessitate punit: cuius metus improbos frenat: sine qua administrari civitas non potest. Lenitas enim est, quae non alienae miseriae delectatione punit, sed delectatione justitiae: misericordia est quae non ex saevitia, sed ex bonitate affigit\*. Nemo alterum majore caritate prosequitur, quam liberos suos parentes: nullus molliorem indulgentiam in allorum vitiis ostendit: amanter objurgant, blandè increpant; si verò in pejus ruant, minaciter admonent etiam verberibus. Multa ante tentant, quibus corruptam mentem revocent: simul ac deplorata est, ultima experiuntur, atque ad supplicia perveniunt, cum remedia consumperunt. Patres Patriae non adulazione vana Rectores populorum appellantur: appellantur enim, ut sciant datam sibi potestatem, quae est temperatissima: mollissimo poenarum genere contentos esse debere,

---

\* V. August. epist. ad Macedon. & Ambros. serm. 8. in Psalm. 118.

bere, dum lenitate poterunt sartam tectam conservare populi pacem, pudicitiam, securitatem, dignitatem: si verò nihil mansuetudine profecerint, tentare debere, quomodo cedat severitas, gladiisque potestatem exerere. Nemo unquam carnem suam odio habuit: imo eam diligimus & fovemus: infirma membra nutrimus: aegra & putrida mollibus remediis sanamus; si verò nulla reperiatur medicina, urimus & secamus, ne sincera pars immedicabili contagione corrumpatur (33). Parcendum improbis civibus non aliter quam membris languentibus: sed quos pestiferos & impios homines poenae mites non terrent, ut membra, quae & sanguine, & tanquam spiritu carere coeperunt, sunt ab humanitate communi ressecandi. Cunctatio declarat, quam invitus aspero remedio manus Judex admoveat: abscindat tamen, ut ita naturae det necessarium affectum, & legibus simul aequam sententiam. Bonos Agricultores imitetur, qui, quas arbores aliqua depravavit causa, desperatas recidunt: secundum haec debet, quae ingenia depravata nesciunt in rectum erigi, ultimo suppicio extirminare; & quae in pravum indurata corrigi nequeunt, frangere. Ea ratione serpentes, & animalia venenata imperterritu vultu percutimus, ferasque persequimur, nullo ea damno affecturi, si posset immitis natura cicurari.

Hinc (Adol. inge.) consideranti mihi saepenumero novam hanc quam configunt humanitatis formam, crudelitatem potius videntur honestissima contrariae virtutis appellatione decorasse. Nam dum lenitatis obtentu flagitosos servare pergunt incolumes, crudeles sunt in ipsos

D 2

quos

(33) Constantinus auctore Zonara lib. 13. c. 4. clementem se præbebat iis, qui pravam vitam deseruerant, dicens, ὅτι τὸ νοσοῦν μέλος ἀποκοπτέον καὶ σεπτῆς, ἵνδε μὴ καὶ τοῖς ὑγιαίνουσι λυμανεῖται, οὐ μέν τοι τὸ ὕγιειας τυχόν, οὐ καὶ ὕγιαζόμενον. Pulcrè Ercilla Araucana Cant. 4.

*Que no es virtud, mas vicio i negligencia,  
Quando de un daño otro mayor se espera,  
El no curar con hierro la dolencia,  
Si del mal lo requiere la manera.....  
Clemente es piadoso, el que sin miedo  
Por escapar el brazo corta el dedo.*

quos servant: crudeles in eos, qui injuriam acceperunt: in Rempub. denique crudeles. Insanabilis animus sceleribus scelera contexens, qui vivit non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam; qui ita nequitiam visceribus immiscuit, ut nisi cum eis exire non possit, felicior est, si scelestissimam vitam, & vitiis infamem suppicio finiat, quam si diuturnior spiritus miseriam ejus augeat, & malitiam (34). Crudeles certè damnatis judices videntur; sic tamen ut Medicus phrenetico, & pater filio contumaci, aut pravè instituto. In laefos etiam crudeles sunt; nam cum injuriam passum debeat dolor facientis lenire & consolari, crudelis est qui fontem servans, laefos patitur vitam in tenebris luctuque afflictos trahere, casum secum indignantes. Nullus est mortuo sensus, sed quibus ejus & uxori, & liberi, & cognati bonis, vel malis adficiuntur, ipse quodammodo adficitur (35). Jam verò quam sunt in Rempub. crudeles? Si poenis acerbissimis constitutis aegrè reprimitur improbitas, quid mollibus decretis eveniet? Audaces spiritus scelerati sument impunitate illecti: omnis de vita auferetur tranquillitas: non securitate Urbes gaudebunt, non agri, non forum: evertentur omnia, & fortioris esca fiet infirmior; férioremque feris vivemus vitam, non mordentes tantum, sed alios alii vorantes. Tantam edet Reip: stragam intempestiva misericordia. = Videlis (Adol. ornat.) datam nefariis hominibus veniam humanitati contraria, illorum exitium ratione probari, & uti-

---

(34) Vid. Boeth. 4. de Consol. prof. 4., ubi inter alia: *Si nequitia miseros ficit, miseror sit necesse est diuturnior nequam; quos infelicissimos esse judicarem, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret.... Ipsi quoque improbi, si eis aliquā rimulā virtutem relictam fas esset aspicere, vitiorumque sordes pænarum cruciatibus se deposituros viderent, compensatione adipiscenda probitatis, nec hos cruciatus esse ducerent, defensorumque operam repudiarent, ac se totos accusatoribus, judicibusque permitterent. Itaque Parthus Tiberium monebat, ut voluntaria morte maximo, justissimoque civium odio quam primū satisfaceret: ut quia alter ejus sceleribus non poterat subveniri, saltem morte succurreret, uti ad Neronem dicebant conjurati.. Tacit. 15. Annal. 68. Sveton. in Ner. 36. Nam uti suppurato melius esturi, quam sic manere, ita improbo mori, quam vivere.. Iamblich. Protrept. c. 2. Vide Not. (21).*

(35) Michael Ephesius ad 5. Nicomach. Arist. c. 2.

& utilitate populorum: videbitis etiam ipsorum pacto,  
& voluntate hunc rigorem confirmari; quod paucis demonstrabo.

Cum homines dispersi & vagi silvas reliquerunt, aedificarunt domos, tectis tecta conjunxerunt, seque in hunc convictum, in hos coetus juris & utilitatis communione sociatos coegerunt, humanae consortiois commodis illecti convenerunt (36). Dum verò usum & fructum communis pacis, communiunque bonorum voluerunt capere, voluisse etiam sibi poenas dignas infligi evidenti deductione convincitur. Si etenim ut in fidibus ac tibiis, atque cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, qui ex dissimilium vocum moderatione concors efficitur; sic ex summis, & infimis, & mediis interjectis ordinibus consensu dissimilium civitas concinit moderata ratione, quae est concordia, arctissimus nodus incolmitatis: haec autem sine legibus nullo pacto esse potest: oportet sanè illos qui conjunctiones has formaverunt, in leges poenasque ab eis praescriptas consensisse; aliter enim nulla firma concordia, nulla stabilis pax eos conciliabit, quos pecuniae & imperii cupido dissociat: quorum fidem, probitatem, caeterasque bonas artes avaritia subvertit: quos ambitio falsos fieri subegit: induxitque amicitias, & inimicitias non ex re, sed ex commodo aestimare: aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum, magisque vultum quam ingenium bonum habere. Noluerunt pro thesauro carbones invenire, qui sese ferarum rictibus eripientes in humanam societatem recepere; neque acerbiora ab hominibus pati, quam a feris immitissimis. Ergo libenter se legibus, quae securos redderent, subdidere: hoc enim est vinculum dignitatis, hoc fundamentum libertatis, hic fons aequitatis, mens, & animus, & consilium, & sententia Civitatis: legum denique idcirco servi sumus, ut liberi esse possimus.

D 3

Ea

---

(36) V. Senec. 4. de Benef. 18. Cic. 2. de offic. 4. &c.

Ea est illarum vis, ut nec qui scelere, & maleficio pa-  
scuntur, possint sine ulla earum particula vivere: nam  
cum effraena licentia latronum societas miscebitur, illico  
seditione dissolvetur. Quanto igitur studio poenas & judi-  
cia in constituta Rep. cives amplexatos esse putamus;  
quae & a sceleratis ad firmandas & augendas opes adhi-  
bentur? Ideo populus in Regem jus omne transtulit, le-  
gumque ferendarum potestatem, ut cunctorum facultates  
in unum redactas facilius exerens, suppliciis prohiberet  
injurias, summos cum infimis pari jure retineret: leges  
figeret & refrigereret (37), quibus ad Remp. ornandam im-  
peraret, vetaret, puniret. Gladius ei creditus, non ta-  
men ut eum vagina conderet, ubi neglectus aeruginem  
traheret. Nisi tantus eos stupor oppressit, ut publicae fe-  
licitatis curam ab eo requirerent, quae tamen ad hunc  
finem perducunt, denegarent. Hinc (Adol. ornat.) meritò  
boni probique reos illos accusant, qui potestati resistunt  
debitam mortem minitanti. Sapientissimus Socrates, qui  
maximis Athenas beneficiis ornaverat, iniqua sententia  
damnatus, nec patronum quaesivit, nec judicibus supplex  
fuit, nec e custodia passus est educi, sed mortiferum po-  
culum bibens posteriorum se judicio reservavit, & plus in-  
gratae patriae, quam incolmitati suae paruit; ne inju-  
riam injuria, malum malo referret. Non ergo licere de-  
bet homini scelestissimo, pesti Reip. a poena quam suffra-  
gio suo comprobavit resilire. Ipse enim, ipsem et reus  
poenis sese obligavit. Novit criminibus indictam poenam:  
igitur crima admittens voluit criminum poenas subire:  
patientis est culpa cui, quid futurum, fuerat denuntia-  
tum. Hoc sensu Severus, & Antoninus, prudentissimi  
Impp.

(37) Cicero 2. de offic. 12. At urget Anonym. §. 28. L'uomo non è padrone d'uccidersi, e doveva esserlo, s'ha potuto dare altrui questo diritto, o alla so-  
cietà intera. Quibus illud Puffendorfii repono: C'est par une crasse ignorance, que quelques-uns objectent ici cette maxime commune, & vraie en un autre sens, que l'on ne sauroit donner ce que l'on n'a pas. V. lib. 6. c. 1. §. 12.  
lib. 7. c. 3. §. 1. & 4. lib. 8. c. 3. §. 1.

Impp. poenae sese reum subdidisse rescripserunt (38); & a Jurisconsultis responsum est, ex quo sceleratum quis intendit consilium, exinde esse quodammodo sua mente punitur (39). Contractus a veteribus dicebantur, non ea solum, quae mutuis conventionibus constant, sed etiam quae legibus vetantur (40): est enim datio quodammodo & acceptio, nam qui male egit pro eo dat poenas. Nec absunt haec longè a naturali ratione, uti placet quibusdam (41): ajunt enim delinquentem delinquere tantum velle, non verò puniri: nam qui rem furto subtraxit, non fatis esset sanus, aut sobrius, si duplum putabat, vel quadruplum restituere, dum alienis rebus ditescere studebat: praesertim cum sperent malefactores prosperè cessura facinora. Verùm non sunt attentè contractuum naturam contemplati (42). Emptor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerunt: cum verò ad certum pretium consenserint, etiam is cuius fiet deterior conditio, manet obligatus. Consensisse enim non injuriā intelligitur, cum ignorare non posset, non lucrum duntaxat, sed incommodum etiam e contractibus manare: unde licet dānum praeter intentionem senserit, ad illius contractus observationem tenetur. Aleatores & lusores non jacturam, sed lucrum ex aliena jactura facere cupiunt; si vero chartis fortuna non arriserit, nemo est adeò ineptus, qui eos neget sese damno subjecisse. Qui bellum gerunt, ex consensu periculum subeunt, ut vel ab hostibus spolia victores referant, vel hostium praeda captivi abducantur. Non aliter delinquens, licet malefacere tantūm, non mala recipere intenderit, vel quòd multum amicorum, cognatorumve praesidio daret, vel tantam in se vim & astutiae potestatem habere gloriaretur, ut cum coelum rueret,

(38) Leg. 34. D. de Jure fisci.

(39) Leg. 8. C. ad leg. Jul. Majest.

(40) V. Michael Ephesius ad 5. Nicomach. Arist. c. 2., & 4.

(41) Puffendorf. lib. 8. c. 3. §. 5. &c.

(42) V. Vasquez de Success. creat. Part. 1. lib. 1. §. 10. n. 665. seq., & lib. 2.

Controv. Illustr. c. 55., ubi responsum Puffendorfii occupaverat, & everterat.

ret, tunc demum pessundatum iri timeret; poenas tam  
men sibi mente destinasse praesumitur, si socordia vel se-  
guitia oppressus non saluti providisset. Cum antiquissimus  
Rex Charondas capitis poenam eis indixit, qui in concio-  
nem cum telo convenissent, sperabat sanè se nunquam  
cum armis processurum; sed cum ad tumultum sedandum  
aliud agens in Forum gladio cinctus accurrit, reum se  
legis judicans, ferro incubuit, atque in se poenam impru-  
dentiae repraesentavit. Itaque maneat in causa, ( Audit.  
clarissimi ) peccantes poenas sibi decernere, & prius sua  
ipsorum, quam judicis sententia condemnari.

Haec vobis ( Adol. ornat. ) in auspicione studiorum  
proposui, ut plurimos esse demonstrarem, qui, dum no-  
vas atque inauditas opiniones, vel ostentandi ingenii, vel  
aliis detrahendi gratia proferunt, pura putaque proferunt  
absurda, gloriofisque moralis & civilis sapientiae nomini-  
bus abutuntur, ad deliramenta cultissimis gentibus incul-  
canda, quae ne barbaris quidem probarentur. Quare aequi  
bonique consulite, si quae a Magistris solertissimis estis  
propediem hausturi, occupo & anteverti, vosque obni-  
xè deprecor & obtestor, circumforaneam & simulatam  
philosophiam contemnite, insipidam circulatorum mer-  
cem, qua homines a Republica alieni, otio abundantes,  
quaerendis cavillis occupati, delectantur. Omnem ve-  
stram curam, & operam conferte in veram illam, prae-  
potentem, & gloriosam philosophiam, honestè vivendi  
magistram, publici consilii fontem, regendae civitatis  
Ducem, Jurisprudentiam. Non artem litigandi, sed ae-  
qui & boni tenete. Verus, justus, honestus labor vester  
praemiis, atque dignitate decorabitur. Quid enim prae-  
clarius, quam domus Jurisconsulti, totius oraculum civi-  
tatis? testis est janua & vestibulum Doctorum vestro-  
rum, quod maxima quotidie frequentia civium, ac sum-  
morum virorum splendore celebratur. Quid pulcrius,  
quam praesidium clientibus, atque opem amicis, & pro-  
pe cunctis civibus lucem ingenii sui porrigit? Auctori-  
tate

tate nutuque legum vitia hominum, fraudes, cupiditates, libidines coercere? Surdo canant, qui tyrannico Caligulae, & Macrini exemplo omnem scientiae clarissimae usum, omnia Prudentum & Impp. placita abolerent (43), ut nemine superstite, qui praeter ipsos consuleretur, possent corruptos aetatis nostrae mores poenarum relaxatione fovere (44). Mentre potius in Patriam carissimam convertite, quae a vobis consilia in rebus dubiis expectat, justitia plena, pace & tranquillitate foecundissima. Oculos in hos parietes conjicite clarissimorum majorum imaginibus ornatos, qui eorum laudibus resonantes ad illorum imitationem excitare vos gestiunt. Toto itaque pectore in id studium incumbite, ut & vobis honori, & amicis utilitati, & Reip. emolumento esse possitis.

## Dixi.




(43) V. Sveton. in Caligul. c. 34. Et Jul. Capitolin. refert de Opilio Aurelio Severo Macrino *omnia rescripta veterum principum tollere statuisse.*

(44) Macedon. ep. ad Augustin. *Nunc, ut mores nostri sunt, & sceleris paucum sibi relaxari.*

l'admirable et la plus belle de l'art  
de l'impression. C'est une œuvre de  
l'artiste le plus habile et le plus  
sophistiqué de l'école de Paris.  
Le tableau est en état de être exposé  
dans un musée ou une galerie de  
l'art. Il a été peint avec une grande  
soin et attention aux détails. La  
peinture est très fine et la couleur  
est très douce et harmonieuse. Le  
tableau est très beau et il va faire  
une excellente impression sur les  
spectateurs.

## EXCELSIOR



Il est à vendre pour la somme de 1000 francs.  
Le tableau est en bon état et il n'y a pas de dommages.  
Il est dans une boîte de bois solide et  
est protégé par une couche de vernis.  
Le tableau est très beau et il va faire  
une excellente impression sur les  
spectateurs.

E

Illustriſſ. Domini Rectoris & Collegii permittu.



Vidit D. Antonius Maria Copelloti Cler. Regul. S. Pauli, ♂ in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pænitentiarius pro Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino D. Vincentio Cardinali Malvetio Archiepiscopo Bononiæ, ♂ S. R. I. Principe.

Die 15 Julii 1770.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Colombani Vicarius Generalis Sancti Officii  
Bononiæ.

**ERRATA.**

**CORRIGE.**

Pag.              lin.

10	not. 3. 8	s' attribuiscono loro simili	si attribuiscono gli uomini trucidare i loro simili
16	15	2 infingendam	infligendam
23		10 poenitus	penitus
24	31	10 retulit	pertulit